



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Augustinus Episcopvs. 28. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

tavit in viatorem, & ideo meruit ut laniena fieret ferarum. Quid si tu malo exemplo vel suafione aliquando homines induxeris in peccatum grave. *Vae homini illi per quem scandalum.* Ubi vae! ibi non levis poena.

S. AUGUSTINUS  
EPISCOPVS.

28 Augusti.

*Gratia autem Dei sum id quod sum,  
& gratia ejus in me vacua non fuit.*

1. Cor. c. 5.

**A**UGUSTINVS ubi manus Deo & D. Ambrosio dedit, in Africam redux & Sacerdos primùm mox Pontifex Hipponensis factus, patrem se Catholicis omnibus, hostem hæreticis acerrimum exhibuit, quorum manus divino præsidio sæpiùs evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducerent sese, quique non Deo loqui in templo, sed hominibus confabulari consuèssent, Mensa ejus, quæ frugalis erat & vasis vel ligneis vel testaceis superba, quoslibet hospites admittebat, si illos excipias, quos acripti hi versiculi proscribebant.

Quis-

*Quisquis amat dictū alienam rodere vitam.*

*Hanc mensam vitam noverit esse sibi.*

Supremum æger Davidis Carmina, quæ  
pœnitentia nomen habent, parietibus cubiculi  
inscripti voluit, intèrque earum commentationes  
mortem sanctissimè obivit, Ecclesiæ hæreditatem  
amplissimam eloquentiam suam & profundissimam  
Doctrinam reliquit; illud puto Juventuti legavit, quod  
lib. XXII. de civit. DEI cap. 8. narrat; Matrem  
scilicet filios immorigeros diris devorasse; vota  
coelū audisse; & illos vagos horrendæ omnium  
membrorū concussione tremebundos orbē penetrasse;  
ex his deniq; duos ad Divi Stephani sibi redditos  
esse. Superi! si improba mater in filios tantū potuit,  
cheu! mariani quid in immorigeros MARIA Mater  
poterit? *Ex vita & ipsius D. Augustini libris.*

M E D I T A T I O.

*In vitam S. Augustini.*

I. **H**ic sanctus toto juventutis suæ tempore  
divinæ gratiæ, ac sacris ejus motibus restitit. Num  
quid ego pariter plerumque restiti ejus gratiæ? quomodo  
fluxit tempus adolescentiæ meæ? an tandem  
cœpi ex animo Deum amare? heu quàm sæpè obdu-  
rari cor? & secretiorem ejus vocem neglexi! nunc  
anime mi! audi: *quere: ama Deum tuum. ah! serò te  
amavi domine! bonitas tam antiqua! & tam nova! ah!  
serò te amavi. S. August.*

2. Post longum & anxium certamen tandem gratia manus dedit Augustinus, exiit se laqueis errorum, & vitiorum, & ad extremum usque spiritum amicum & filium gratia probavit se se. Si peccantem Augustinum imitatus fuerim, quare non imitor poenitentem? quid expecto? moriendum est, & dignitatibus divitiisque vale dicendum. Heu! quid me fiet, si, cum Deus me vocabit ad reddendam rationem vitæ meæ, fuero gratia destitutus? *Omni bus laboribus nostris quò ambimus pervenire? buid querimus?* S. Aug.

3. S. Augustinus fuit quoque Doctor gratia, cujus partes acriter suscepit adversus hæreticos; docuitque naturam & mirabiles effectus ejus. Doce alios qua ratione possint Dei gratia reconciliari. Esto gratia discipulus, si Doctor esse non potes. Audi quid loquatur in te Dominus: *Si non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia.* S. August.

---

## DECOLLATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

29. Augusti.

*Herodes misso Spiculatore precepit  
afferrī caput ejus in disco.* Marc. c. 6.

**N**atalitias hoc die herodes epulas dedit, quas rectiùs funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condidit.